

www.e-rara.ch

Theses medicae de veneni natura

Bauhin, Johann Caspar

Basileae, a.C. 1659

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-17974>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

THESES MEDICÆ
De
VENENI NATURA.

Quas,
CONSENTIENTE & PERMITTENTE
Amplissimo, Gratosissimo Senatu Medico,
in florentissimâ Basil. Rauracorum
Academiâ,

SUB PRÆSIDIO
VIRI Clarissimi, Excellentissimi,
DN. JO. CASPARI BAUHINI,
Philosoph. & Medic. Doct. Anatomici &
Botanici Profefs. celeberrimi, Fau-
toris, & Præceptoris sui
observandî,

*Proponit ac defendet, die 26. Augusti, in Audit.
Med. æstivo, horis solitis.*


JACOBUS ZIEGLERUS, FIL.
Tigurino Helvetius.



BASILEAE Typis GEORGI DECKERI,
Acad. Typogr. A. C. M DC LIX.

Catalog





V I R I S

MAGNIFICENTISSIMIS, AMPLISSIMIS,

Nobilissimis, Prudentissimis,

DN. JOH. HENRICO WASERO, in illustri Republica Tigurina Consuli, Patri Patriæ laudatissimo, meritissimo.

DN. HENRICO HOLTZHALBIO, in eadem Rep. Tigurina Tribuno plebis, Expræfecto Oenopediano, Cognato perpetim observando.

U T E T

VIRIS admodum Reverendis, Clarissimis,

& Excellentissimis,

DN. JOH. JACOBO HULDRICO, Ecclesiæ Tigur. Antistiti, gravissimo, celeberrimo, Cognato & Patrono devenerando.

DN. FELICI WYSSIO, ibidem Ecclesiæ Abbatissanæ Pastori meritissimo, Fautori & Agnato suo ætatem suspiciundo.

DN. JOH. RODOLPHO GYGERO, Med. Doctori, Physicesque Professori & Collegii Carolini Præposito honoratissimo.

DN. JACOBO ZIEGLERO, Med. D. Practico nulli secundo, Patri suo Genuino æternum honorando.

DN. RODOLPHO HOSPINIANO, Collegii Carolini Canonico dignissimo, Ludimoderatori novissime designato accuratissimo, Patri suo Lustrico jugiter colendo.

DN. ERHARDO KESSELRINGIO, V. D. Ministro, in Husen vigilantissimo, Affini suo amantissimo.

Hancce suam Disputationem alteram in perpetua Reverentia, Observantia, dilectionis & humilissima submissionis, cum ardentissima omnigenæ prosperitatis appreciatione, indicam ponit, & dedicat

JACOBUS ZIEGLERUS Fil.

Author & Defend.

JOVA J U V A.

T H E S I S I.



Ropositurus quædam de Veneni natura, à nomine incipiam. Dicitur Græcis *Φόβηταιον*, vocabulo ambiguo, Latinis verò Virus. Utrumque autem, tam Græcum quàm Latinum, significat vel quod peculiariter homini obvenit lethale, vel in-

cantationem, vel colorem certum. Unde non immeritò Cajus Jurisconsultus dixit: Qui venenum dicit, addat utrum bonum vel malum.

2. Venenum definitur quod sit mixtum, humanæ naturæ & cordi inprimis inimicum, ac ejus corruptivum. Intellige sic proprie dictum. Vulpi enim amygdalæ amaræ dicuntur venenum, non homini.

3. Differt venenum ab alimento, & medicamento, nam alimentum corpus nostrum alit, medicamentum verò alterat & alteratur; quod verò simul corpus alit & potest alterare, est alimentum medicamentosum. Venena neque alunt, neque alterant corpus nostrum, sed corrumpendi vim habent.

4. Alia venena in minima quantitate sumpta jugulant & interficiunt ac vocantur deleteria. Alia vinctur à natura, ut videre est in certis quibusdam veneni generibus.

5. Alia venena iterum sunt vel naturalia, vel artificialia, utraque verò vel ore sumpta, vel exterius adhibita.

6. Porro alia sunt genita in corpore humano, alia extra corpus humanum.

7. Intra corpus humanum, pestis quædam, suam originem trahens vel ab aëre, vel ab alia corruptione.

8. Sanguis item, extra vasa grumescens corruptus, vel menstruum nimium retentum, & semen putrefactum.

9. Extra corpus humanum est, vel in simplicibus vel in mixtis corporibus.

10. In simplicibus aëre scilicet, aquâ & terrâ.

11. In mixtis vel animatis vel inanimatis.

12. Animata vel plantæ vel animalia sunt; Inanimata sunt metalla & metallica.

13. In plantis solent esse venenata: flores, fructus, folia, semina, succi &c.

14. Inter flores referuntur, flores Napelli. Fructus loco ponuntur poma Mandragoræ. In numero foliorum sunt Napellus. Semina sunt Hyoscyami, & Staphidis agriæ. Succi sunt Opium, Euphorbium &c.

15. Ab animalibus sumuntur quoque variæ differentiæ venenorum. Alia enim sunt venena secundum se tota, alia secundum partes, alia secundum tam excrementitios, quàm alios humores.

16. Secundum se tota venenata sunt quædam animalia, ut Cantharides, Salamandra, Buffo, Stellio.

17. Partes corporis animalis sunt, vel principales, vel minùs principales.

18. Principales sunt cerebrum Cati, & Castoreum. De quibus tamen dubitare non est nefas.

19. Minus principales sunt carnes, quæ multis modis, naturam venenatam subeunt,

20. Excrementa venenata sunt vel secundæ, vel
tertiæ concoctionis.

21. Secundæ concoctionis sunt fel Leopardi, Vi-
peræ, Canis aquatici & urina Muris, in Venerem æstu-
antis, teste Gesnero.

22. Tertiæ concoctionis sunt quorundam anima-
lium sudores, ut Muli, Asini, Equi &c. humor item in
cauda Cervi collectus.

23. Sic nocent Saliva Canis rabidi, & Viperæ, quo-
rum in numerum scribuntur omnis generis morsus &
ictus.

24. Sanguis Tauri item recens epotus, sine subse-
quenti cursu. Quem tamen quidam volunt non pro-
pter vim veneni, sed propter fibras nondum separatas
nocere, ut faciunt fungi. Quibus addunt nonnulli ova
Aspidum.

25. Alia verò ex iis sensus externos afficiunt letha-
liter, ut Torpedinis tactus.

26. Et hæc venena naturalia sunt. Artificialia au-
tem sunt, ut vapores & fumi, sibi proximos interfici-
entes, item vina alique liquores venenatis infecti,
sed per accidens, Mercurius sublimatus, & alia.

27. Vis venenorum consistere videtur in naturâ
adversissimâ cordi humano.

28. Vehementius autem agunt venena illa, quæ
cum proprietate, calore quoque prædita sunt, talis est
Napellus, & similia. Hisce venenis accedit, ut pluri-
mum, vel inflammatio, ut in Euphorbio, vel corrosio,
ut in Lepore Marino, & urina Vespertilionis pruritu
venereo æstuantis.

29. Videtur frigiditas conjuncta iis quæ interimunt
congelando cor & sanguinem, sensum & motum au-
ferendo, cujusmodi est Cicuta, semen Coriandri non

correctum, ex metallis Argentum vivum, Lithargirium, Cerussa, Magnes &c. aut obstruendo, ita ut claudatur aditus Spiritui tum ingredienti, tum egredienti, & ex hoc numero sunt Plumbum ustum, & Gypsum.

30. Caliditatem & siccitatem secum habentia venena sunt Calx; Sandaracha, Arsenicum, Vitriolum. Agunt in corpus nostrum etiam humidum extirpando, siue exsiccando, vel partes dividendo & separando ab invicem, quousque membra, ad cor usque in minimas dividantur partes.

31. Humiditatem quoque venenis jungi probat Matthiolus, exemplo cujusdam, [contra nonnullos,] qui unâ nocte, à serpente quodam demorsus, morte cum vitâ commutatâ, tali putredine confectus est, ut mane, ossibus remanentibus, omnis caro conciderit.

32. Apposita venena in mensa quidam ex signis colligere conantur. Cornu serpentis tenent, ex quo, si venenum offeratur, sudor manans videtur. Mercurial. 1. de Venen. 16.

33. Tribuunt hoc quoque Smaragdo in digito gestato: is enim colorem suum sæpe amittere putatur, præfente veneno, sed non quovis.

34. Circa animalia venenata signa colliges, vel ex aspectu, vel odoratu, vel locis.

35. Videntes enim horrida animalia, & peregrinæ formæ, vel ipsâ naturâ nobis dictitante, de veneno suspicamur.

36. Idem fit, si ex animalibus odor teter spiret.

37. Nec minus, si in cavernis, antris inaccessibilibus; sub quibusdam arboribus, ut est pinus, quercus, nux, cupressus, buxus, & similibus locis, illa stabulantur.

38. Metallicis quoque sua sunt signa, ut Cerussâ sumtâ, mox palatum, gingivæ, lingua arescunt, extrema frigent, mens labat, membra torpescunt &c.

39. Sentitur statim plantarum efficacia, ut ab Opio proficiuntur somni profundi, frigidi, stupor extremitatum, vertigo, singultus, tenebrositas oculorum, gutturis & anhelitus stricture, pruritus insignis, corpus opium olet, inferior maxilla laxatur; tumescunt labra, adest pallor, livor unguium, præcordiorum divulsio, respiratio parva & frigida, oculorum offuscatio.

40. Opium, nisi statim occurratur, suas imprimit qualitates, ut non amplius medicamentis cedat, 3 i. j. spatio duorum dierum interficiunt, & id majori efficacia, si cum vino detur, ob. faciliorem penetrationem.

41. Mortem autem, spasmus, frigidus anhelitus, isque languidus valde, sudor frigidus & nasus obtortus, non procul abesse nuntiant.

42. Substantia igitur Opii vacuanda, qualitaris manifestæ decens ratio habenda, occulta, Bezoartico impugnanda, & post vomitum Castoreum offerendum.

43. Cæteris venenis resistunt; Antidota magna, Theriaca, Mithridat. Ol. Scorpion. Matthioli &c.

Qui plura quærunt, adeant Authores, qui de illis ex professo scripserunt, Capivaccium præfertim, Mercurialem, & alios.

COROL

COROLLARIA.

I.

An veneno aliquid nutriri possit? Affirm.

II.

Num venenum ita parari possit, ut, certo quodam à venefico constituto tempore, interimat? Neg.

III.

Utrum venenum primariò semper cor afficiat? Aff. De propriè dicto.

IV.

An venena omnia sint frigida? Neg. Sed effectus.

V.

Utrum venena innoxie intra corpus sumi possint? Aff.

VI.

An metalla & metallica omnia venenata? Neg.

VII.

Utrum caro viperina venenata sit? Neg.

VIII.

An Opium calidum sit? Aff. cum Sennerto.

F I N I S.